…hael

Gaworski Ioan. Nep. Ign. Observatio primae magnitudinis siderum virtutis et sanctimoni…

OBSERVATIO
PRIMÆ MAGNITUDINIS SIDERUM,
Virtutis & Sanctimoniæ;
IN LECHICO POLO
LITHVANO è PRINCIPE,
DIVINISSIMO
MICHAELE GEDROIC,
Inclyti Ordinis RR. PP. CANONICORUM Regularium BB. MM. *de Pœnitentia* PROFESSO, in Alma Universitate Cracoviensi DOCTORE,
FACTA.
SIVE
ORATIO
RECURRENTE ANNUA SUÆ FESTIVITATIS DIE
In Ædibus DIVI MARCI Evangelistæ Cracoviæ,
In Laudem Illius;
Favente numerosissimâ Dignissimorum Hospitum Præsentiâ,
à
M. JOANNE NEPOMUCENO, IGNATIO,
GAWORSKI,
In Alma Universitate Cracoviensi AA. LL. & Philosophiæ Doctore, ejusdemq; ac Matheseos Professore, Geometra Jurato,
HABITA.
ANNO DOMINI 1763. Die 4ta Mensis Maji.

CRACOVIÆ
Typîs Seminarii Episcopalis Academico-Diœcesani.

SpoLIa In IConeM DIVI PrInCIpIs.



I.

Quilibet aſpiciat DIVI Faciem MICHAELIS,
Semper Eumq́; Pium, quilibet aſpiciat.
Quilibet aſpiciat JESUM tunc verba ferentem.
Ad Sanctum Vigilem, quilibet aſpiciat.
QVILIbet aſpICIat MagnaLIa sIDerIs aLtI,
In Quo fulgebant, quilibet aſpiciat.
Quilibet aſpiciat cernendo Sidera præſtò:
Attentîs oculîs quilibet aſpiciat.

II.

MagnanImi! Cujus cHaritAtes ExpLicat icon,
Geſta piE DuRant; OmnIa Celſa, nota.

OBSERVATIONI

Primæ Magnitudinis Siderum
VIRTUTIS & SANCTIMONIÆ;
DIVINISSIMO

MICHAELI GEDROIC.

è DUCE LITHVANIÆ
Inclyti Ordinis RR. PP. Canonicorum Regularium *de Pœnitentia* BB. Martyrum PROFESSO, in Alma Universitate Cracoviensi DOCTORI, Regni Poloniæ, & Magni Ducatûs Lithvaniæ

PATRONO.

Ad Ædes Sancti MARCI EVANGELISTÆ, Gratiîs & Miraculîs Clarissimo.

DEDICATIO.

Superis ab Optimis conscius licèt tenuitatis meæ, quod visus sum ab ineunte rationis ætate precari Divinissime MICHAEL GEDROIC, *Sacrato TUO Nomini offerrem, ut aliquam laboris mei provinciam, cumq; vehementer mihi pollicebar, consultum isthoc jam non fortuna; cui nullum jus in res humanas, ast Divina Providentia ita suum voluit revocare ad terminum, ut quæ TUA pro Domo dicta sunt, peroptatum illa complerent votum. Novi inquam perbellè ex me; nil ejusmodi eruditionis esse, licitum ut fore putem Tuas in Laudes immittere, publicæ quoq; mandare luci, ast in his manens desiderantis animus, tanta splendoris ab Observatione Virtutis & Sanctimoniæ primæ magnitudinis Si-*

derum, tanta gloriæ à Nativo Principatûs Genere animum movit magnitudo, ut etiam sponte sua calamus exhibere literas, necnon significare desiderium præsens testaretur. Est quippe mihi concessa Tuis scribendo pro Laudibus ab Auctoritate Nominis Tui proveniens materies, vel ideo ut ad Observationem primæ magnitudinis siderum observaretur animus, vel ad Gentilitiam ROSAM explicaretur in folia dictorum elogium Universo, vel vili atq; indigno labore meo; dignitas Tuarum promulgaretur Laudum. Ego sum quidem ille non diffiteor: cùm fateor præstò, cui non aliquod dicendi genus; in quo ingenii politura continetur omnis, non dicendi materies; quæ connexas theses difficultatum continet, & Tuam Lithvaniæ PRINCEPS DIVINISSIME ad Majestatem venio, ad Quam: Tua ùt enarrentur elogia; non unum Ciceronem poscit. Ita sane: Laudes siquidem Tuæ pænè omnium gentium celebrantur lingvîs atq; Literîs, nec ulla unquam ætas de Tuis Laudibus conticescet. (a) *Verùm si Natalibus servanda reverentia,* (b) *jamq; suscipe quæ Tua sunt, ubi nil magnum? cùm non ingenii, nil sublime? cùm non acuminis, nil splendidum? cùm Observatio Siderum perstringit animum, Te ipsum solùm suscipe; Tuaq; Sancta Opera: atq; istis subjacens animus ab Observatione primæ magnitudinis Siderum evidenter clarebit, qui demisso poplite miratus gloriam res imitatur gestas,* (c) *Tuumve Principis ad Nomen libellum refert, ne patiaris succumbere reum. Hæc enuntio desideria voti:*

TUI SANCTI NOMINIS

Cultor Perpetuus & Mancipium;

Author Operis.

(a) *Cicero pro Murena Nro 3.* (b) *Silius.* (c) *Isocr: ad Nicol.*

ORATIO.

PRO HONORE

DIVI GeDroIC LIthVanI VIrtVte PrInCIpIs, CanonICI RegVLarIs, & sVb RegVLa SanCtI AVgVstInI ProfesſI, PatronI PoLonIæ.

QUousq; tandem perſolvendas ad Laudes Diviniſſimi MICHAELIS *Gedroycii* ſuſpendes facultatem agendi dictio? quouſq; hinc & inde recitanda ad præconia propulſaberis? quamdiu etiam dicito ædepol æquos ad calculum revocabis dies? quem ad finem timoris te obruet anguſtia? nihilne te Religio hujus loci Sacra, nihil frequentia ac plenitudo tanta quantam vix ulla vis ingenii contingere valet, nihil deſideria tui Magno dicere Lithvano pro Principe, nihil dicendi licentia, nihil ſerena animorum facies, ac

deniq; concurſus omnium bonorum movebunt, fulcient, ſolabuntur nihil? Quæ ſit amplitudo elogiorum MICHAELIS non vides? dicendi quæ copia non ſentis? quo ſit in ſtatu præſens agendi provincia intimo animi ſenſu tecum non perpendis? quem dicentium in Laudes Ejus ignorare arbitraris? O dicendorum rationem! o virtutum Sanctimoniæq; præſtantiam! quivis iſthæc omnia intelligit, videt Religio Sacra Boleslai Pudici ſub Nomine ſita, & tu! pudore tacendi obrueris minimè? MICHAEL deprædicandus manet. Manet? imò etiam ad ſui Sacrati ſolenne Nominis præſtò adeſt, notat & deſignat ex ſanctimoniæ factis juremeritò Cultum. Verùm enimvero *AA.* hebeſcit dicentis animus in Auctoritate Hujus, Vir enim Sanctiſſimus MICHAEL Ille adeſt, animum pumilionem qui non patitur, ſtylô & calamô non attingitur exiguô. Ejus præconiorum litera; Literatorum etiam obliterat acumina, quodlibet inciſum magnitudinis; eruditorum ſtamina ſcindit, puncta deniq; ſeſe in theſes rotantia; ipſa MICHAELIS Gentilitia *Roſa* pungit. Decernit animus videre plura ne quid detrimenti capiat, aſt cùm permittit demiſſa MICHAELIS humilitas, non unum incommodum dicendi ſe propter advertit. En ſi Virtutes clariſſimæ; quæ primæ magnitudinis ſunt ſidera, veniunt obſervandæ, obumbrant præſtò dicentium ſenſus & minùs terſas puriorî radiô pupillas perſtringunt. Lithvani ſi Principis ad Majeſtatem accedo, non humilia poſcit, ſibi vendicat, requiritve, ad ſanctimoniam ſi devenio, excelſa capit. Quiſnam itaq; erit qui Laudum MICHAELIS non opprimatur magnitudine? quiſnam? qui firmîs obſeſſa præſidiîs attentare audeat, præconiaq; firmè ediſſerere queat? Etenim: quid eſt MICHAEL vidimus? quid virtutes audivimus? quid Majeſtas obſervavimus, quid Sanctimonia percepimus? Si MICHAELEM vidimus quid ſit? erumpit omnia, ſi

virtu-

virtutes audivimus? mutam efficiunt Eloquentiam, ſi Majeſtatem obſervavimus? acceſſum denegat, ſi Sanctimoniam percepimus? (mihi credite) difficultatem parit.

Recognoſcite tandem *AA.* ni turpe foret tacere, ubi loqui ſvadet honeſtas, ni in apertis præconiorum campis gloriæ, ullū eſſet jugū gravius ſervitute ſilendi, ni unquam Oratoribus contingeret acceptiùs, quàm debitîs exornare laudibûs, cujus vel Nomen unum elogium eſt, ni ampliſſimæ etiam Eloquentiæ eſſet difficiliùs, quàm inter facundiæ ſuæ coarctari limites, cujus meritorum vix terminus, ni mihi quoq; Veſtrum conſeſſus Sapientiſſimus adeſſet præſtò *AA*, qui mihi perquam jucundiſſimus eſt; omnemve me recreat in modum, ſanè ceſſarem in Laudibus *Gedroycii* hæſitando. Jamquè intelligite multò me debitum eſſe præſenti in provincia, nihil enim aliud iterum obſervatur, niſi communis quædam dicendi alacritas; ad commune totius compendium Sanctitatis. Religiosô ne prætereain ſilentiô, illuſtriora illa Virtutum certamina, in quibus ſe exercuerat Solo DEO Teſte, ipſæ etiam Sacræ Aræ, atq; abditi Templi receſſus obteſtantur. Imò ſi Princeps Militiæ Cœleſtis MICHAEL? eſt cuſtodia omnis cupienti laudare. Si opera Sanctorum ſequuntur Eos? (*a*) viva lectio vita Eorum eſt. (*b*) Si ſuam lingvam habent opera? (*c*) conticeſcere ad eam nefarium ſanè. Quæ cùm ita ſint *AA.* pergo quò cœpi, egredior timoris de laribus, ut inter ſua trophæa Princeps glorioſior appareat MICHAEL è ſuo, patet ad ſumma Ejus Virtutum decora; necnon Sanctimoniæ, arcanum cordis, Cruce prævia Sacra; Inſigne Conventûs intelligo hujus. Sed cùm nullum tantum eſt ingenii flumen, nulla dicendi copia & ubertas, nullum tam Divinum atq; incredibile Orationis genus, quô quispiam poſſit Elogia Diviniſ-

(a) *Apocal: 14. ℣. 13.* (b) *S. Gregorius.* (c) *S. Cyprianus.*

ſimi MICHAELIS *Gedroycii*; non dicam complecti orando, ſed numerando percenſere, nonq; mihi erit devium *AA.* ſi miſsîs interim Summi Viri *Gedroycii* encomiîs, ab eruditiſſimis Viris explicari ſolitîs, in quibus vix permittitur dicentibus promptitudo, cùm MICHAEL *Gedroycius* ſuô careat terminô, *Virtutē* quod primum; *Sanctimoniā* quod alterum; *Sidera magnitudinis primæ in Lechico Polo* è MICHAELE *Gedroycio*, nullô prætermittendo ſilentiô *obſervabo.* Ad illa venio quæ obſervatione egent MICHAEL Diviniſſime, patiaris igitur ad Tuos ſplendores Virtutis; polluti labii Aſtrolabium applicari, patiaris incircumſcriptum lumen Sanctimoniæ Tuæ circumſcribi, non ignorans umbrā non officere ſideribus, quod ſi feceris? vilem dicendi modum radiis Tuis elevabis ad lucem. Vos tandem oro atq; obſecro *AA.* ab obſervatione ſiderum magnitudinis primæ in MICHAELE Virtutis, & Sanctimoniæ non recedite, ſerenô Cœlô Aſtronomus indiget, ut ſidera legat, quodſi innubem exporrexeritis his ſideribus frontem, nubiloſa in ſudum permutabitis.

Cùm præclara illa magnæ ſtirpis naturæ potiùs loquar, quibus non vili de luto finxit præcordia Tytan; micantia obſervo ſidera, & cuncta noto tacitô labentia Cœlô, quibûs perpetuô quodam & immutabili tenore geruntur ſingula, ac certum omnia ſibiq; indefinitum ſervant influxum ordinis, videor in his Sideribus relationem nullam magnitudinis primæ ad Sidera Virtutis & Sanctimoniæ videre. *AA.* Hæc quidē mihi omnia tum etiam jam per omnium ora volitantium cùm nota ſint, ita mehercule animadverto eſſe. Equidem quidquid excelſo in ſangvine concipio, video fugienda omnia, video admiranda, ut quò magìs quæram quod inveniam, eò minùs invenio quod proferam.

feram. Quæro virtutes, invenio vitia, quæro dolorem labentis populi, invenio lætitiam, quæro clemẽtiam, severitatem invenio, quæro parium reverentiam, contemptum invenio, quæro deniq; cultum DEI, invenio vix vix hominum. Ita, ita: non consangvinitatis Arbor fructus Virtutum & Sanctimoniæ progenerat, Cœlestibus donis, non Nobilitati sangvinis tribuenda Sanctimonia, Cœli in atriis cara; necnon amica Deorum Soboles Virtus resìdet, insignis Prosapiæ non in Domibus. Imò non utiq; semper Nobilibus ex Ceris DEO dicatæ eriguntur Statuæ, si Virtus & Sanctimonia abfuerint, ast locò virtutum, non unus in vitiis fit personarum stipes. En clarus Sangvis elationem parit, affectat potentiam, inferiores conculcat, contemnit pares, habere DEUM dedignatur, loquitur grandia, & totus tumet. (*d*) Sanè felicis æterno in nomine famæ; clari aliàs sangvinis hoc votum est, ut vel aurea sæcula ferens Saturnus, vel felicitatis documentum Policrates, illorum vitæ fiant præsides, Virtus & Sanctimonia raró. Ast quid hinc *AA*? en infelices Policrates, plumbeos Saturnos, æneos Joves, sulphureos Martes & ferreos, aureos Phæbos, stanneas Veneres, invasores Mercurios, argenteasve obtinent Cynthias, atq; à radiis dum obfuscantur illorum, à fixis his, & à quibusvis sæculis fictis vanô elusi dicuntur conatu. Porrò Alti Sangvinis Oceanus; haud aliquid cum Virtute & Sanctimonia habet; ast majestuosis cum soliis omne sed incertum. Vocat altus Sangvis jam Coronas, jam Mitras, jam Tiaras circulos, verùm quid prodest? cùm quibûs omnem numerum Astrorum tegendo, Luminaribus etiam non vulgares lucis deferentes suppeditat, hincq; à radiis percussa nubes; discedit in Orbem, & sine ullo fulgoris defectu transparentes in Iride decernit colores, Pulsas hinc & inde nubes pluere & grandinare facit,

B sed

(d) *Joan: Sarb. Lib. 8. de Ung. Cureal. cap. 15.*

ſed inanem potiùs deplorantem conatum. Excitat ventos grandis illeq; excelſus animus, elationis verùm fumidæ, tanquam vi elaſtica motos impetu, à quibus decidit ipſe. Et quos honores habet Apogæa nominat, ita: ut ſupremo inhærentibus gradui, gradales ducat & dicat in Apogæo figere ſtationes, in Perigæo aliàs ſtatuendo continuò. O multùm dementatam rationis molem! caſibûs ſtare, fulciri ruinis in plano etiam plenam occaſionem jacturæ quis eligeret? bonum illud optimum appretiat, quod vel adſcito vultu ludit oculos, ut vehementiùs lædat, vel colores vēditat; inteſtinæ certitudinis experientiam tradentes nullam. O à Virtute & Sanctimonia alienam rationem! o pulchrum nihil! o immundiſſimum Mundum! o adhærentes Mundo! non intendentes quærere munda. Fortunæ hic luſus non recta ſtabiliendæ ætatis ratio, hominem inter homines quærere, unus Diogenes, ſed ſapienter aggreſſus. O ſteriles conatus mentium! o ementitas fallaciæ ſervientes copias! homo poteſtate furit, homo quod eſt Sanctimoniæ non quærit, quod Virtutis non ſatagit homo; miſeræ quoq; ſortis elatus ludibriô, jam Cœleſtia ſine meritis poſſidere intendit; Jovem etiam ad pugnam provocare cum Cajo aggreditur. Procul hinc; procul naufraga ſeditioſorum animorum tempeſtas, procul alta ſcandere cum faſtu cupientes ſolia, procul Virtutis & Sanctimoniæ à majeſtate recedentes, quæ omnia dum canitis; ecce capitis, atq; dum lucem traditis en trahitis, Nova præſtò obſervatio, novo in Cœlo apparuit, Lechico in Polo aliàs, Auguſtini in Orbe aliàs, Magni Ducatûs Lithvaniæ Princeps MICHAEL *Gedroycius*, cui ſolus Auguſtinus Phæbus, Orbis verò Motrix Ipſius Salvatoris Domini Intelligentia aſſiſtit. Ardentibûs undiq; inſignis lampadibûs, quia magnitudinis primæ ſideribûs Virtutis & Sanctimoniæ ornatus MICHAEL, quæ ſi recenſere libet numera ſtellas ſi potes? in obſervatione

tione isthac Lumina non concipies. Equidem in Laudes Ejus ituris passu, solus stupor magnum comitatus terrorem viam dirigit, ita: ut non priùs rimari quisquam debeat, quàm inquam liceat demirari, Quodsi profundam Ejus humilitatem, paupertatem, abstinentiam, affabilitatem, patientiam colligeres, nil non magnum, nil non admirabile invenires! Quodsi pietatem, obedientiam, fortitudinem, misericordiam ad Dignitatem prospiceres Ejus, dignum quem Sol ipse miraretur, Virtutumve præoccuparet magnitudo proclamares! Quid verò de Sapientia, quid de Sanctimonia, splendidissimîs sideribûs quoq; dicendum, altiùs hæc supergredi nequibat, quàm MICHAELIS *Gedroycii* indigitabat perfectio: Si MICHAELIS ætatem indigas? Sanctimonia & Virtus Cunabula struxit, si scrutaris genus? Magnus Principum Sangvis; non jam in rivulos, sed totum in Oceanum *Gedroycio* Virtutum & Sanctimoniæ profluxit. Atquè ita visuri evidentiùs, observaturi manifestiùs, Sidera magnitudinis primæ Virtutis & Sanctimoniæ in MICHAELE *AA.* ad ortum siderum horum tubo gradior cum Optico. Et hic video: ast ita video observare ut queam, proferre ut valeam, quis, qualis, quantusve MICHAEL. Quippe nascitur *Gedroycius* inter Principum flores fragrantissima Rosa, sed sine spinis, quia sine omni nefandorum scelerum punctura, quia Deorum Rosinus Sacer, prima portio *Porajorum* est. Hincq; magnum Genethliacon observare intimat, quod una hora nativitatis non dedit, suo aliàs in exortu non tribuit, nullîs præmisŝîs ostendit sequi aliquid, medio & termino carens. Nondum maturioribûs annîs explicatus *Rosinus* Divinissimus, illicò Observatio Virtutum & Sanctimoniæ in vernantia factus. Crescebat isthic non tam ætate, quàm virtutibûs, non tam annîs quàm sanctimoniâ, methodum Observationis Virtutum & Sanctimoniæ, primæ magnitudinis Sideribus, ex se accom-

modam reddens. Stravit infantili *Rosino* eruditio immarcescibiles Sapientiæ palmas, reptantem in Fasciis, colebant honorum Fasces, infantiles lachrymas tersêrunt Murices, pro Fasciis præeminentia vittæ, pro crepundiis aurea Principum recreabant poma, illa nihilominùs *Gedroycio* non ad gustum. Scivit se Observationem Virtutum & Sanctimoniæ, primæ magnitudinis Siderum extiturum, illa itaq; sapuit quæ Virtutis & Sanctimoniæ fuêre. Equidem omne MICHAELIS exercitium; servire per Regulas spectabatur DOMINO, declinare à vitiis gratissimum summè, conjugationem primam (amo nimirùm DEUM) colere jucundissimū, Virtutesve conjungere amantissimum, scandere pietatis per gradus, devota incedere mente, plusquam desiderabile, optabile. Tullianum excolere ingenii campum, adeò in votis habuit; ut laboris illius semen, in copiosum Divorum Gloriæ cederet messilegium, periodîs utebatur ejusmodi; quæ ductum Spiritûs Altissimi præseferrent, impetus formabat Illos; terminū qui Empyreum impetebant. Porphyriana fructus carpendo ex Arbore, fructum meditabatur Virtutum, in svavem ut cœterorum portionem abiret. Videre erat mentem illam totam in Conspectu hærentem Altissimi, animum ad Cœlestia proclivem semper, à terrestribus minimè dependentem. Audire erat *Gedroycium* Philosophica in Stòá docta moventem jurgia, cujus sublimis mentis acumen punxit neminem, dulcoravit ast singulos per certamina, quia præcelsô *Gedroyciani* ingenii animô; nil videbatur elevatiùs, Serenissimo splendidæ rationis lumine nil videbatur clariùs, qui tenebrosas vitiorum caligines propellebat, ut Observatio primæ magnitudinis Siderum Virtutis & Sanctimoniæ nosceretur.

Non hìc in MICHAELE observationis terminus *AA.* plura cernite;en vidit isthunc Orbem periculîs plenum, vidit nihil aliud immensum nisi esse pelagus,

in quo

in quo quaslibet ad partes nataverit dum animus, anceps hæret, in quo latrantes Scillæ voracesq; mundi Charybdes ad optatæ ſpei devenire Promontorium negant. Vidit inquam MICHAEL, quàm incerta in hoc mari ſalutis velificatio ſit æternæ, hincq; conſummatîs jam ſtudiîs *Roſinus* Diviniſſimus quæſtionem movet: Utrum maris hujus turbulentiæ tantæ reſiſtere poſſit? atq; Virtutis & Sanctimoniæ quæ primæ magnitudinis in Eo ſunt Sidera fundamenta intelligens, affirmativè concludit, dicens: Quis inter tot paſſiones hujus corporis, inter tantas illecebras hujus ſæculi, tutum atq; intemeratum ſervare veſtigium poteſt. (e) Quod probaturus evidentiùs, in Oppido *Byſtrzyce* Sacrum Canonicorum Beatorum Martyrum de Pœnitentia ſuſcipit Ordinem, Religioſam aliàs inibi vitam eligit, ſicq; ſubintrat Religionis limina, Ipſe pluſquàm Religioſus dicendus, petit Sacerrimam AUGUSTINI Regulam, irregularis conſtellatio Virtutum ne fiat, figit in Orbe AUGUSTINI Stationes Sanctimoniæ, Obſervatio ejuſdem ut advertatur lucida & Virtutum. Sed quid agis Princeps *Roſine* Diviniſſime? Obſervatio jam adæquata promines! & humilitatem adamas? utq; in adamantino Tuo pectore vivam ejus habeas imaginem, anhelas & deſideras? volucri impetu Religioſas abis in umbras, ſemper in claro, necnon lucido viſus Virtutum & Sanctimoniæ nitore, binos Orbes adornare an adorare intendis? non hæc Tuæ mẽtis poſtulaverat Ordo: ad excolendum Virtutum negotium, quod etiam Purpuratis in Poſtibus exercere poſſes, accedis? anne ignoras fortè; quia etiam Regales limites ſuâ verecundiâ gaudent: ergone virentem magnæ Conſangvinitatis eradicabis Arborem? ergone Clarum Stirpis Genus, Cœlo conterminas Abogenum Imagines, Venuſtiſſimæ Proſapiæ ampliationem minues? Prima Lithvaniæ Lumina & Colu-

(e.) *S. Aug. de fuga ſæculi Cap. 1.*

mina permittes labi? Domum Paternam contemnes & abiicies? utiq; ex Te fulcrum Patriæ, Domûs Decora, honorum augem surrecturam Mitrati ominantur Parentes? utiq; alii per fraudulentas semitas, per vitæ dispendia ad honores cursitant, & Tu nativum Principatum renuis! belligeros Clypeos tuas excubantes ad plantas abdicas & contemnis! Ita est *AA.* volubilia hæc & continua alteratione pressa didicit *Gedroycius*, contemnit ideò sapiens in omni MICHAELIS conatus, ad humilitatem locari voluit, elevaretur ut altiùs, solos humiles perbellè gnarus exaltari posse. In umbris manere & residere exambit, umbras has nõ Observationi feralem contrahentes noctem in Sanctimonia & Virtute, sed lucis micantem & scintillantem radiis scrutatus diem. A tali quidem revocabatur proposito per blandimenta Parentum Sacer Filius *Gedroycius*, per objecta jamjam Religiosa silentia, jam per assvetas molestias, jam per explicatam quotidianam quâ angebatur infirmitatem, sed ad hæc respondit in forma, firmatus benè *Gedroycius*: Cunarum labor est angves superare mearum, utiq; Annibali opposuit natura Alpesq; Nivesq;, ille tamen diduxit Scopulos, & montem rupit acetô. O excelsam Majestatem Virtutis! Princeps *Gedroycius* desiderat esse humilis, quem & ipsa Sanctitas cum Virtute, Insigni hacce Ducum ligata in Domo Observationem primæ magnitudinis Siderum denominare non sinit, cum pro Augustis Palatiis; Religiosam Cellulam ambit, pro fulgentibus super Tenerum pectus affixis Principum Sideribus, Signum Salutis purpuream Canonicorum Regularium de Pœnitentia Crucem recipit, quam non Senatorius Murex, sed Sangvis ipse pinxit Æterni Regis, qui ex latere Vulnerumq; scatebris promanavit, delendas ad maculas Universi. Nativam *Porajorum Rosam* veriorem Paradisum credidit, in quo Numen Cæleste Suam Laurum; Crucem aliàs plantavit Sacratissimam. Jamq;

Sacra

Sacra in Religione Novitius MICHAEL, aſt Summa Virtutum maturitate Magiſter. Et quia *Byſtrzycensî* capi non potuit Clauſtrô, Cracovienſi committitur, non potuit coarctari limitibûs Virtutum & Sanctimoniæ amplitudo; implevit etiam Craci mœnia, & ubi ſufficit aliis ad campum merendi unum Clima, aſt Obſervationi huic ſufficere nequivit, cum non exactô pro-
7.6.3.4.2.5.1.
bationis Annô; Minorem in Poloniam in *Lechiam* aliàs ſuo anagrammatico ex Nomine *Michàél* transferri deſiderat, Obſervationem etiam Polo Lechico ex Se primæ magnitudinis Siderum Virtutis & Sanctimoniæ prolaturus, gradiare dictio! nota ſplendores Siderum; Virtutis & Sanctimoniæ; Obſervationi accommodos! gradiare.

Applaudit *Gedroycio* Poloniæ Decus; Coronatrix Regum *Cracovia*, quæ ut in transmutatione literarum
1.5.2.8.4.6.7.3.
ſonat *Cor ac via* Cracovia, non aliter *Gedroycio* facta, cùm tantum nacta Virum, Quô poſſit protegi & defendi, cui reſeravit pectora, & gaudia recluſa expandit. Ingreditur *Gedroycius* Haſmet Sacerrimas Marci Diviniſſimi Ædes, Leonis inſtar quatuor ex animalibus ad Marci Leonem vigiles atq; inſomnes ſuis in Orationibus Acturus cuſtodias, ſive potiùs primæ magnitudinis Sideribus evidentiora in Obſervatione Virtutis & Sanctimoniæ publicaturus lumina, atq; ad Ædes Iſtas Marci Sacratas Nomini, Sacræ Divorum Aræ MICHAEL ſuæ Religionis; necnon intenti Profeſſionem facit, illâq; peractâ: ſtrictioribus quotidie exercetur in Virtutibus, corpus inediâ alit, mortificationibûs vivit, membra jejuna abſtinentiâ reficit: famelicam ſitim carnis compreſſione levat, adeò: Ut Ei nec vires ſint, nec qui color ante ſolebat. Fluunt ex MICHAELE lachrymæ è Cœlis utut copioſæ pluviæ, omne Illius otium Sacra obſervabatur Devotio, Qui in corpore vivit; corporeus acſi non eſſet, intaminatum

Castitatis Candorem servat, acsi fragilitatis humanæ particeps foret minimè. Nil magìs ad delectamentũ *Gedroycio* Divinissimo, quàm diurnam Orationem continuare ad DEUM, etiam insomni nocte; sed tenebrosa nusquam, cùm Eum de Cathedra Crucis Crucifixus CHRISTUS, gratiarum illustrat gratiîs. Et benè: est Sideribus fulgor, Observatio etiamnum primæ magnitudinis Siderum Virtutis & Sanctimoniæ Lechico in Polo tam nocte, quàm die è MICHAELE *Gedroycio* redditur illustrior, ubi Æterno Crucifixi Lumine circumfunditur. Et cùm tenebrarum Princeps nequivit isthæc Lumina pati, per insolitos rugitus corrosionemq; dentium terrorem incutiebat *Gedroycio* Divinissimo; extingvere cupiens Sidera Ecclipsariq; desiderans, impavidus tamen *Gedroycius*, majori illaq; ardentiori ad Superos Oratione ferebatur, corpori innocuo impingebat disciplinas, quod postquam adverterit Averni potentia, cruentis plagis plagas, vulneribus vulnera imprimebat, adeò: Ut nulla superfuerit quæ contegat ossa MICHAELIS Divinissimi cutis. Surgebant de nocte infernales latrones, *Gedroycianum* utut jugularent Corpus, largiferasve apponerent ut scatebras, necnon Pietatis ab opere MICHAELEM amovere volentes. Sed patientissimè sustulit *Gedroycius* omnia, & eo majorî devotionis ardebat zelô, emaceratum jejuniîs lachrymarum irrigabat rore corpus, Animæ ut messis cresceret copiosior animorum, Ejus, sive potiùs Ejus meritorum, sciens palmam crescere sub pondere & Observationem Virtutum & Sanctimoniæ, primæ magnitudinis Siderum, manifestiorem ex se fore. Sed nondum finis *Gedroyciani* certaminis, adhuc conjuratus in Ejus perniciem Averni Princeps ingentes accendit furias & furores, tollere de Cælo sidera magnitudinis primæ MICHAELIS Virtutes & Sanctimoniam ambigens, nondum infernalis Cerberi potentia, sive perversum Cerebri acumen sui

Trium-

Triumphatorem deſerit, cùm ecce in Vigilia Nati. vitatis CHRISTI Domini Vigilem *Gedroycium* Diviniſſimum; in ſolita Oratione DEI aggreditur Clientē, numeroſa infernalium monſtrorum ſtipatum cohorte vix non integrum Charonium ut agmine facto imperteritum *Gedroycium* temnit, Qui ad terram projectus rapacibûs ungvibûs laniatur adeò: Ut veluti terra arâ trô flagrorum ſciſſurâ inaretur. Et per Eccleſiaſticum pavimentum ita à Phrenetico jaciebatur Cathomo, ut appoſitum Eccleſiæ ſtramen in paleas redegerit. Expaveſcite verùm & timete Tartareæ potentiæ, videte quid facitis? peſtem portendit auſibus *Gedroycius* veſtris, propulſabit veſtras tenebras devotionis fervore, quia Obſervatio primæ magnitudinis Siderum Virtutis & Sanctimoniæ eſt, lacerabit ille funeſtos angves & ungves, quomodo Ejus mandatis mitigari hæc Veſtra potentia poſſit. Factum eſt quod dixi *AA.* cùm enim jam non ob virium *Gedroycianarum* fatigationem, ſed ob inanem Orci in tentationibus conatum ingentî affectus moleſtiâ petiit auxilium Tartarei Triumphatoris CHRISTI Crucifixi, cujus Icon hìc Gratioſiſſima adeſt, & ſic adverſariorum legiones expugnavit precibûs, in ſuppetias Aciem Caſtrorum Ordinatam invocavit MARIAM, inflexit quoq; in juvamen Olympum, & ſuis votis captavit Numina & Nomina, infernales vincendo poteſtates. Delectabant *Gedroycium* contumeliæ illæ animô toleratæ patientî, quando pro illis à ſolo encomiſabatur CHRISTO Crucifixo: *Eſto patiens uſq; ad mortem MICHAEL, & habebis Coronam vitæ.* O aurea *Gedroycii* merita! quando illorum ad elogia Solius Crucifixi panegyris ſpectat, o feliciſſimam noctem! quâ illi ſereniſſima affulſit dies luminis; Præmiatoris Æterni, o merita gemmîs & adamante notanda! quæ non tantùm in Cœlis copioſa expectat merces, aſt etiam in terris, o Obſervationem Virtutum & Sanctimoniæ manifeſtam!

 Et non

Et non poterat aurea Triumphatoris tempora venustius coronare munus, non poterant Infulæ appretiari dotes, quàm de Scientiarum Archivo Almæ Universitatis Cracoviensis Laurea Philosophica. Parum Victori Huic *Gedroycio* erat Canonicatus Regularis, & ideò excelsus honor ut magno Lithvaniæ Principatû, Illum sibi æstimaret magìs, postquam derelictô Illô, ad hunc celeri Virtutum & Sanctimoniæ primæ magnitudinis Siderum motu; currit tramite. Benè est: debebat Illi aliunde venire præeminentia major, Laurea nempè Jagelonico de Campo, sive potiùs Manipulo Corona, ut post aurea merita Illius ambiret verticem. Parum inquam *Gedroycio* erat mare claustralis Sapientiæ, parum Tulliani fontes, Castalii vertices, non satis domestica AUGUSTINI fovea, quamvis in eam Arcana DEI, Cœliq; Secreta influxêre. Sitivit mens hactenus Scientias; quousq; Universitatis Cracoviensis non libavit mare, frontisq; Ejus sudores quos per continuos colligebat labores Laurea donec absterfit Philosophica. Sumpsit itaq; *Gedroycius* Insignia Doctoralia, quæ Sapientiâ, Virtutibûs, & Sanctimoniâ magìs insignia fecit, atq; Observatione Virtutis & Sanctimoniæ primæ magnitudinis Sideribus adornavit. Accepit quidem *Annulum* desponsaretur ut Virtutibus, Orbitam quoq; ut traderet illis. Accepit *L i b r u m* intimaretur ut meliùs Sanctimonia. Inflexit ad *Mitram Doctoralem* Caput; Princeps Genere *Gedroycius*, ut Laureator Virtutum & Sanctimoniæ censeretur. Benè est Neo-Doctor Divinissime Philosophicæ applicaris Laurui, ùt vitæ immortalis fias particeps, sive clariùs dicam: Observatio Virtutum & Sanctimoniæ primæ magnitudinis Siderum ùt meliùs elucescas. Sublimem conscendis gradum, quem altô infusarum dotum ingeniô elevatiorem ùt reddas, recolendo hæc verba semper: *quando*

magnus

magnus es humilia te in omnibus. (*f.*) Ita eſt *AA.* & bene: quò altiùs aſcendit MICHAEL' eò magìs elevata mente & fervido Spiritu adit Superos, in Cœlo primæ magnitudinis Siderum quoq; Obſervatio Virtutis & Sanctimoniæ notus MICHAEL. Commendavit hæc Laurea ſerò venturæ *Gedroycium* poſteritati, immortalis gloriæ eſſe hæredem: adſunt ſiquidem perennes illæ horæ; quæ ſunt exactæ actionibus *Gedroycii* in optimis, ſignantur in Sinu Æternitatis quadrantes; quos non in ſola jactatione verbiſve inutilibus; ſed in operibus laudabilibus ſculpſit, notantur deniq; minuta in magnitudine verùm MICHAELIS Virtutum. Utq; Obſervatio per horas, quadrantes, demùm minuta; notatur, MICHAELIS *Gedroycii* pariter magnitudinis primæ Siderum; Virtutis & Sanctimoniæ obſervatur. Sacrati Hujus Converſatio non alia Viri Religioſos etiã præter in Conventu Fratres, cùm Sanctis ſolummodò Viris pariter, ſæculô viventibûs illô; Quos ut proferam *AA.* video hic in Senatu, Craci aliàs in Urbe ampliſſima, Qui cum Eo fuêre, video inquam JOANNEM CANTIUM Alma in Univerſitate Cracovienſi Theologiæ Doctorem, SVETOSLAUM ad Eccleſiam Beatiſſimæ Virginis MARIÆ Pœnitentiarium, SIMONEM LIPNICIUM Religioſum Ordinis S. Franciſci Stradomiæ, STANISLAUM CASIMIRITANUM Canonicum Regularẽ, ad Eccleſiã Sacratiſſimi Corporis CHRISTI Caſimiriæ, ESAIAM BONERIUM Religioſum Ordinis S. Auguſtini ad Ædes Sanctæ Catharinæ Caſimiriæ, in Univerſitate Cracovienſi Profeſſores, à Quibus augmenta Virtutũ; Sanctimoniæ quoq; recipiebat fundamenta. O felix ſæculum Cracoviæ! in quo tot corda crederes; quot Viros; ni vi unionis connexa in unum abierint. Non diſtingvuntur Beatæ Mentes, quæ unam Sanctitatem ſpirant, atq; ita Obſervatio primæ magnitudinis Siderum

(f.) *Eccleſiaſtici 3. ℣. 20.*

derum Virtutis & Sanctimoniæ, Lechico in Polo è MICHAELE exorta Diviniſſimo. Verùm o Dii Immortales ubinam ſumus gentium! ſtetit MICHAEL Summus in Apogæo Virtutum, paulôpòſt tenebroſîs fatorum circumdatur umbrîs, aliàs in Perigæum abit, Obſervatio forſitan primæ magnitudinis Siderum Virtutum & Sanctimoniæ; Lechico in Polo è MICHAELE ceſſabit? minimè: Vel ideò Lechico è Polo tranſfertur in Empyreum? fulſurus clariùs, vel ideò Solis occidit die MICHAEL? cum Sole in Zodiacum Sanctimoniæ ſuper Orbem oriturus. Cùm Affixus Cœlo MICHAEL *Gedroycius*, non tamen in Mundum Chriſtianum influere ceſſat, ûbi etiam Arida Ejus Lipſana Triumphalem in rogum accenduntur Orbi. Siquidem vident cœci, incedunt claudi, directè errantes pergunt, dum MICHAEL Diviniſſimus etiam poſt fata vivit, aliàs Obſervatio primæ magnitudinis Siderum, Virtus & Sanctimonia manuductricem quibus Cynoſuram agit.

Ampliùs tremula Obſervatoris pupilla Sidera magnitudinis primæ reformidat obſervare, vehemente ſenſibili; tanto Siderum ne lædatur ſplendore. Tibi hinc Sacerrime Canonicorum Ordo, licèt in termino MICHAELIS Laudũ, dicendorũ eſt ratio: cùm Sacerrimam Religionem Veſtram Cœlum in terris Orbis adorat cernendo. Exorta hoc in Cœlo Veſtra Nobilia Aſtra, exorta quoq; coruſca Obſervatio primæ magnitudinis Siderum, Virtutis & Sanctimoniæ è MICHAELE *Gedroycio*, Qui Cælum hoc, ſuîs radiîs Virtutum & Sanctimoniæ illuſtravit. Imò attollunt Veſtri Celſitudinem honoris RAYNALDUS, SOLLICITUS, VENTURA SPOLETANUS Confeſſores. CLETUS, AUGUSTINUS, QUIRIACUS, DEMETRIUS, aliiq; innumeri Pontifices, Martyres, & Epiſcopi. Eminent in humilitatis Veſtræ profundo binæ Cæſarum Majeſtates, fulgent in Firmamento Ordinis Regnorum Soboles

boles

boles (coronata Capita intelligo) 18, Cara Pignora Regum 12, Comites inſigniores 8, aliàs in Cælo Veſtro Sidera perpetuas in æternitates lucendo reſulgent, habituri Voſvos; Virum etiam *Gedroyciô* adhuc Majorem, eſt Vita mihi atteſtationis MICHAELIS documentum. Et ne Religioſos Veſtros adumbrem Splendores; non ampliùs audeo umbratili illuſtrare ſvada, tacendo *Gedroyciana* ſub *Roſa*. Gaude, exulta, ſolummodo Cracovia in novam quod abieris Jeruſalem, aliæ Urbes quærunt Sanctorum Patrocinia, tu Sedes Illorum es, aliæ Manuductoribus carent, Illorum tu quotidiana, in experientia miraculorum & gratiæ Obſervatrix ades, ubi: *quilibet ſanctus murus adamãtinus eſt in Te.* (*g*) Quare currit Polonia, feſtinat Cracovia, quæ Tantum nacta habere Virum, accedit etiamnum Umbroſus Academi Craci Lucus, Tua hæc omnia Obſervatura Sidera, ergo propulſes ab illis ſortis adverſæ tenebras, quia Obſervatio primæ magnitudinis Siderum, Virtutis & Sanctimoniæ ex Te facta, ego verò ſemper tacebo loquens.

(g.) *Hugo Cardinal. ad intende Cracoviæ.*